

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Rahn

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne/ I.D. & Prof.  
Ad iusta funebria ... Elisabetae Stockmans, a liberis maestissimis hodie ad horam  
primam paranda, Omnes omnium ordinum cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774669209>

Druck    Freier  Zugang



Rahne, H

in E. Stockmann.

Üx. d. Tiedemann

Rostock, 1646.







933.

PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HENRICUS Rahne / J. D.  
& Prof.  
Ad justa funebria  
*MATRONÆ HONESTISSIMÆ*  
ELISABET AE  
STOCKMANS,

*à liberis mastissimis*  
hodie ad horam primam paranda,,  
Omnes omnium ordinum cives Academicos  
cā, quā par est, humanitate  
invitat.



• \$ (O) \$ •



ROSTOCHII,  
Literis NICOLAI KILL, Academiae Typographi,  
Anno M. DC. XLVI.

J Ulius Cæsar, cum inter cœnandum  
ortus sermo esset , quod genus mortis optimum , sine cunctatione respondit : inopinatum . Plinius ille naturæ bibliothecarius mortem repentinam in maxima parte felicitatis humanae deputat . Julianus Imperator Numinis semper ita gratias agit , quod non longa morborum asperitate sibi decedendum esset . Excepit ista sors & mors viros non paucos , quorum pietas & probitas toti mundo fuit spectata . Inter alios *Victorinum Strigelium* , qui cum viveret pro expedita morte ( quam vocare solebat einen Reuterischen Tod ) Deum unicè venerabatur . Excepit *Joannem Matthesium* , Theologum magni nominis , *Hieronymum Wellerum* , alios . Simile genus fati ante annos sex & quod excurrit mansit etiam virum virtute atque eruditione præstantem D N . M . G E R H A R D U M T I E D E M A N N U M , Consistorii Ducalis Mecklenburgici olim Procuratorem , & maximè gnarum usus forensis . Is enim cum aliquando curiam ad res agendas condescendisset , correptus seu vertigine , seu pituita vel alia caussa ex constitutione corporis nata , inter prima verborum initia , deficiens in proximis

proximum collapsus est, ac quasi mortuus domum reductus, tandem postridie circa noctis initium complexu suorum & consuetudine nostra exemptus fuit. Neque alio genere fati maritum suum sequi debuit conjux ejus ELISABET A Stoetmanns/ cui hodie exsequias ituri sumus. Cum enim nudius quintus preces suas matutinas flexis genibus ad Deum fudisset, & negotia domestica vix auspicata esset, nihil malis suspicante filia, nihil periculi metuente, hora decima antemeridiana acutissima apoplexiæ violentia corripitur, eaque præter opinionem repente extinguitur. In hoc exemplum oculos conjicito, quisquis es. Mi homo, omnes horas complectere, vides te nunquam tutum esse. In proximo morserit.

Cum minimè reris, Mors ait, ito foras. Non anni, non mensis, non dies nec hora excepta sunt: non hæc ipsa, quâ scribo. Omne tempus, omnis te locus doceat, quam facile sit renunciare naturæ. Cura igitur quam diligentissimè, si animæ salus tibi cordi est (esse omnino debet) ut ne inevitabilis illa hora imparatum te inveniat & opprimat. Audis nostram post preces suas vix finitas repentino excessu finisse vitam, quam haec tenus laudabiliter egerat. Quid vos barathrones? qui vos quotidie ingurgitatis diluvio Cereris, & ut cum Diogene dicam Cynico, ex crapula do-

mos, fundos, patrimonia evomitis; quid vos, in-  
quam, nocturni præmiatores, sanguinarii, ordi-  
nis nostri de honestamenta, futurum putatis, si  
mors tam repentina vos occupet? Convivabam-  
tur filii Jobi & compotabant, ecce tandem rui-  
nā domus oppressifuerunt, Non mentitur Deus:  
non, non. Qualem te invenio, talem te judico.  
Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in  
quocunque loco ceciderit, IBI ERIT. Sed hæc ē m.  
gōdō. De Herculis apotheosi virum magnum ita  
scripsisse legimus: abiit ad Deos Hercules, nunquam  
abiisset, nisi cum inter homines esset, eam sibi viam mu-  
niisset. De Defuncta hoc affirmare habemus, quod  
sibi, cum in vivis esset, viam ad cælestem illam be-  
atitudinem vera fide in CHRISTUM, & vitæ  
sanctimonia verè muniverit. Congressus enim  
publicos, ubi propitiari Numen precibus, laudes  
ejus decantari, & populus fidei scientia imbui at-  
que ad pietatem erudiri solet, assidua frequenta-  
bat; cum incredibili desiderio audiendi & dis-  
cendi cùm legem & mandata divina, rùm etiam  
inenarrabile illud salutis per CHRISTUM nobis  
partæ beneficium; in quo solo omnem spem  
suam, solatium omne repositum esse sciebat. Fi-  
dei vero tanto magis confirmandæ, crebro &  
cum summa veneratione ad cœnam Dominicam  
accedebat: ubi prius animam accurato peccato-  
rum examine, & seria de admissis pœnitentia pro-  
curasse

curasset. Neque mihi nus religiosè domi vixit: sed  
precibus enixissimè incumbens, tanto eas fervore  
fundebat, ut nullius negotii caussa, cujuscunque  
etiam momenti foret, aut turbari permitteret, aut  
differri sustineret. Eandem quoque pietatem &  
precandi studium à reliqua familia exegit; quo-  
rum animos monitis suis & exemplo, quod effica-  
cissimum jubendi genus est, vehementius quoti-  
die incendebat Scripturas sacras nocturna diur-  
naque manu sedulo volvebat & scrutabatur; certi-  
or quippe, has ipsas esse, quæ de CHRISTO testen-  
tur & contineri in illis, ipsius Conservatoris elo-  
gio, vitam æternam. Cæterum matrona fuit bonis  
probisque moribus, sine fuso aut pompa, viri o-  
lim amans, domus suæ & œconomiæ intelligens  
& curans. Et satis hæc in femina, ait ille: plures  
laudes qui quærerit, virtus fortasse congeret, in specie  
virtutum. Si veteres etiam hoc inter prima &  
maxima hominis bona censuerunt, in lucem sta-  
tim venire felicem: Nostra sane id nacta est, quæ  
Parentibus probitate, virtute, genere præstantis-  
simis, anno 1593. d. X X. Novemb. prognata fuit,  
Patre nimirum M. ERASMO STOCKMAN-  
MO Physices quondam in Academia nostra Pro-  
fessore laudatissimo; matre ELISABETA, D.  
GERHARDI NENNII Viri clarissimi, lin-

E 3

gu-

guarum, artium & medicinæ peritissimi, & ANNÆ Kœlers feminæ rari exempli, filia. Cum esset

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis, petita est in matrimonium à M. GERHARDO TIEDEMANNO. Cum quo ita vixit, ut pœnè nunquam necesse illis fuerit templum Deæ viri - placæ accedere, in quo Romæ olim vir & uxor dissidentes convenire, & in gratiam æquisimis animis redire solebant. Scilicet ita sese comparaverant hi conjuges, ut suum uterque quod esset satageret; & uxor aliquando oculis esset capta, vir aurum surditate teneretur: quibus rebus ad rem uxoriæ jucundè concorditerque agendum opus esse, Antonius Panormita non minus verè quam scitè pronunciavit. Nec parum ad conjunctionem conservandam faciebant liberi, quos Sapiens pignora amoris conjugalis, & suavissimæ amicitiae uxoriæ vincula esse censuit. Non enim sine prole fuit thalamus. sustulerunt subolem, geminam masculam, GERHARDUM & PAULUM; quorum hic in primo ætatis flore, ille jam Studiosus Philosophiæ & Medicinæ, cum esset juvenis bonæ spei & exspectationis, immatura morte prærepti; geminam sexus sequioris, ANNAM & ELISABETAM, quæ adhuc innuptæ tristissima hæc fata unà cum avunculo, desideratissimæ matris suæ fratre germano, viro Excellentif-

cellentissimo atque Experientissimo D N. JOA-  
CHIMO STOCKMANNO Phil. & Med. D. Col-  
lega & amico nostro honorando; & sorore ex pri-  
vigna nata MARGARETA STOCKMANNS,  
D N. M. PETRI KRÜGERI Ecclesiæ Kylo-  
nensis Pastoris quondam fidelissimi relictæ vi-  
duâ, acerbissimè lugent. Mortuo marito in alte-  
rius viri potestatem tradere se noluit, sed haet-  
enus in septimum usque annum vidua mansit, &  
viduitatis molestias patienter tulit, immo fortiter  
eluctata est. Jam enim non amplius futuri solicita  
pendet, non armorū toto orbe furentium discur-  
sum metuit: secura spectat publicas clades & im-  
perialum ruinas, quarum nos infelix ætas jam  
pars maxima sumus, neque calamitates aliæ quic-  
quam in eam possunt, quarum insultus tam cre-  
bro hic sustinuit. Putate illam ipsam ex cœlesti ar-  
ce vos ita alloqui: cur vos tantopere obitus meus  
afficit! cum mortalem me & ea quidem lege na-  
tam fuisse sciatis, ut imminente die meo rursum  
ab hac vita abirem; cuiusmodi necessitatí uni-  
versa quoque subjecta videtis. Etiam si vero fatalis  
hora instare omnibus solet, non tamen omnibus  
est pertimescenda. Neque enim à miseriis tan-  
tum humanis abducit, sed eos etiam, qui vitâ lau-  
dabiliter functi sunt, ad æterna hæc & nunquam  
peritura gaudia dimittit. Quibus quidem ego  
nunc dulcissimè fruor; neque id meo merito, sed  
benefi.

beneficio solius Christi, cui dum adhuc in mortali corpore eram, constantissima fide adhærebam. Ille ab oculis meis omnes lacrimas abstersit: Ille justitiae suæ ueste me circumdedit, ille coronam gloriæ, quam mihi reservarat, imposuit. Quod repentina morte à vobis divulsa sum, Deo acceptum refero, qui cavit ne diuturnis cruciatibus affligerer, quippe qui cujusque dies pro arbitrio suo temperate gaudet. Cogitate adversa casuum, & in primis cruenti belli, quod vos omnes involvit atrocitatem: quæ ego cuncta mea morte declinavi. Nulla hic arma sæviunt mutuis concursibus: nullus hic morbus aut infirmitas ægroto corpori incumbunt: non fallaciae, non fraudes, doli, invidia hic locum habent. Deus est omnia in omnibus, qui nobis ejusmodi gaudia præstat, quæ nec oculus vidit, nec in ullius unquam cor hominis descenderunt.

Vos, Academiæ Cives, ite matronæ tali exsequias, ite frequentissimi: fratri germani, ejusque Generi, Academiæ nostræ Professorum clarissimorum causâ; sed & nostrâ, qui vos serio invitamus, immo & vestrâ, qui excitemini ad meditationem vitæ, quæ nobis vel non sentientibus effluit. Valete. P.P. Rostochii d. X. Jun. An. circ 100  
XLVI. Sub Sigillo Academiæ,

*Conventus fiet in Æde Beatae Virginis.*










cellentissimo atque Experientissimo  
CHIMO STOCKMANNO Phil. & M  
lega & amico nostro honorando; & so  
vigna nata MARGARETA STOCK  
DN. M. PETRI KRÜGERI Ecc  
nensis Pastoris quondam fidelissimi  
duà, acerbissimè lugent. Mortuo ma  
rius viri potestatem tradere se noluit  
nus in septimum usque annum vidua  
viduitatis molestias patienter tulit, im  
eluctata est. Jam enim non amplius fu  
pendet, non armorū toto orbe furent  
sum metuit: secura spectat publicas c  
periorum ruinas, quarum nos infel  
pars maxima sumus, neque calamitatē  
quam in eam possunt, quarum insult  
bro hic sustinuit. Putate illam ipsam ex  
ce vos ita alloqui: cur vos tantopere o  
afficit! cum mortalem me & ea quid  
tam fuisse sciatis, ut imminente die m  
ab hac vita abirem; cuiusmodi nec  
versa quoque subjecta videtis. Etiam  
lis hora instare omnibus solet, non ta  
bus est pertimescenda. Neque enim à r  
tum humanis abducit, sed eos etiam, o  
dabiliter functi sunt, ad æterna hæc &  
peritura gaudia dimittit, Quibus o  
nunc dulcissimè fruor; neque id meo



the scale towards document